

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hermann Hofmann Daniel Veling

**Collegii Institutionum Imperialium, Disputatio Quinta De Tutelis. Ad tit. 13. & seqq. usq[ue] ad tit. 23. Libr. 1. Inst.**

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731844238>

Druck Freier  Zugang



Schüttma Brachana

F. U. jün. 1641.  
Hoffmann - Velinx



COLLEGII  
Institutionum Imperialium,  
DISPUTATIO QUINTA 88  
De  
**TUTELIS.**

Ad tit. 13. & seqq. usq; ad tit. 23. Libr. 1. Inst.

Quam

AUSPICE CHRISTO,  
Permissu Magnifici & Nobilissimi  
Jutorum Collegij in florentissima ad  
Varnum Academia.

PRAESS

HERMANNUS Hoffmann/  
Culmbacho-Francus.

&

RESPONDESS

DANIEL VELINX  
Stralsundensis Pomeranus  
Jurium Studiosis.

Loco horisq; consuetis examinandam proponunt die 6. Augusti.

o(0)g

ROSTOCHII,

Excudebat NICOLAUS KILIUS, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLI.

Nobilissimis, Clarissimis, Præstantissimis,  
Politisimis & doctissimis

Celeberrimæ BRUNSVICENSIVM  
NATIONIS DNN. STUDIOSIS. respe-  
ctivè MAGISTRIS, SS. Theol. SS. Le-  
gum & Medicinæ Candidatū omnib.  
& singulis

Dominis & Fautorib. suis multūm  
plurimum colendis.

Hunc Tutelarum discursus.

In perpetuam sui memoriam cum  
promptissimâ officiorum oblatione

Studioſſimè

dieat & consecrat.

HERMANNUS Hoffmann/  
Author & Praes.



DISP V.  
Respond.  
DANIELE  
VELINX  
Pomer-  
no.

TITULUS XIII.  
DE TUTELIS.

I.

**D**ictum est *sapr. disput. 2.* de jure personarum, *Continua-*  
*illarum sc. quæ sunt alieni juris, dicendum tio.*  
*restat de sui juris personis, quæ aut sunt sub*  
*tutela vel curâ aut neutro jure tenentur. pri-*  
*mo itaq; loco in hac præsenti disputatione*  
*de personis quæ Tutela, in subsequenti de ijs,*  
*quæ CURA reguntur, verba faciemus. His etenim rectè intel-*  
*lectis facilè intelligi possunt & reliquæ personæ qua neutro jure*  
*tenantur, juxta regulam: Cognito uno ex contrarijs cognosci-*  
*tur & alternm. l. i. pr. ff. de his qui sunt sui vel alien.*

2. *Est a. TUTELA Vis & potestas in capite libero ad Definitio-*  
*tuendum eum qui propter etatem se defendere nequit, jure*  
*civili data & permisso.*

3. Ut singula verba hujus definitionis paulò accuratiùs in- *Definitio-*  
*spiciamus. Vocabula Vis & POTESTAS eandem habent nisi verba*  
*significationem, sicut & in germanico idiomate macte vnd ge- explica-*  
*walt. prout etiam vox vis pro potestate capitur in l. i. §. 3. ff. tur.*  
*de interdict. quamvis Alij pro vis malint legere jus per transposi-*  
*tionem literarum. quia Tutela est jus s. munus publicum pr. inf.*  
*de excusat. tutor. l. filius. 9 ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.*  
*(intellige quoad autoritatem. Nam utilitate est privatum, ut*  
*conjicitur ex l. 6. §. 15. ff. de excusat. tut.)*

4. *In capite libero ] quæ verba possunt referri tam ad Tu-*  
*torem quam ad pupillum. Nam si quis servus fuerit, non mi-*  
*nus capax erit tutelaris administrationis arg. l. 32. ff. de R. f. l. in*  
*servili. 7. C qui daret tutor. vel curat posse ac pupillus tutoris, nisi in*

L

casu

casu relictæ hereditatis fideicommissariæ cum libertate, quam heres rogatus præstare renuit. l. 13. pr. ff. de tutor. & curat. dat.

5. *Ad tuendum*] hinc discriminè elicitur hujus potestatis à patriâ, quæ in gubernatione & omnimodâ bonorum per filium acquisitione consistit. non in nudâ defensione. Nam pater bonorum filij sit dominus aut quoad proprietatem aut quo ad usumfructum. *inf. t. per quas person. nob. acqui.* ita ut eanom modò tueri sed & absumere possit, quod tutori non est concessum.

6. Per dictiōnēm *Eum*] indicatur quod tutor principaliter personæ detur. l. 14. ff. de testam. tutel. quod secus est in curatore qui ad bonorum tuitionem primariò constituitur l. 8. C. de nuptijs.

7. *Qui se defendere nequirit propter etatem*] haec verba innuunt differentiam curatorum, qui etiā dantur furiosis, mente captis & perpetuâ valetudine laborantib. §. 2. & 3. *Inf. de Curator.* ob vitium animi & morbum.

8. *Jure civili*] quæ verba causam efficientem denotant. Nam Tutela non est juris naturalis, licet in eo ratione originis sit fundatum §. pen. *inf. de Attilian. tutor.* Sed juris civilis, quia ab hoc jure non solum approbata sed & reformata ejusq; per certam formam propria facta est, sicut insimili diximus supra de patria potestate & de nuptijs.

9. *Data*] sc. ex lege proximis agnatis. *PERMISSA* vero ex testamento & à judice: ut hinc triplex dicatur esse tutela *Testamentaria, Legitima & dativa.*

10. Administrator tutelæ dicitur *Tutor.* *Tutorū* vox derivatur à tueri quasi sit Tuitor & defensor. *qui ergo non defendit & tuetur non est Tutor.* quæ argumentatio sumpta ab Etymologia negativè solum non affirmativè procedit. Nam à quo removetur genus ab eo & quælibet species removebitur non econtra.

*Tutela  
Test.* 11. De *Testamentaria* tutela agit. §. 3. quæ est potestas jure *civili introducta, quâ quis in testamento aliquem constituit, ut ipsa defuncto*

*defuncto filiorum suorum impuberum aut aliorum descendantium, defensionem suscipiat.*

12. Permittitur hæc potestas dandi tutores testamentarios *Quidant Parentib. & omnib. Ascendentibus, in quorum potestate sunt li-* *tutores te-* *beri d. §. 3. & l. i. pr. ff. de testam. tutel.* Fæminis vero quæ libe- *lamentar-* *ros in potestate non habent l. 13. ff. de sui & legit. non æquè. si rios.* *tamen dederint tutores licet non rectè, sunt illi tamen propter* *maternæ pietatis præsumptionem à judice confirmandi l. multi-* *er. 2. pr. ff. de confirm. tutor vel cur. cum inquisitione d. l. 2. & l.* *pater 4. pr. & vers. seq. ff. de Test. Tutel.*

13. Dantur autem certis personis non omnib. 1. *Filijs fam.* *Quib. dan-* *impuberib. masculis & fæmellis. 2. nepotibus & alijs descendantib.* *tur.* *omnib. tamen in potestate dantis existentib. eo casu quo non sunt* *reversuri in patris sui potestatem. 3. posthumis*, qui jam nati, es- *sent ex suis heredib.* Nam & hi, licet nondum editi sint, pro natis *habentur, quoties commodum illorum spectatur. l. 7. ff. de statu* *homin.* ideoq; & tutor illis, ne indefensi maneant, decerni potest. *4. Filio emancipato.* Huic tamen non absolutè sed *cū confirmatio-* *ne judicis.* quia pater, potestate quam abdicavit, caret, sicut & *quælibet mulier.* Interim tamen datus à patre confirmatur o- *mnimodò h. e. sine inquisitione ut loquitur text.* §. ult. b. t. is *verò qui à matre nominatus est cum causæ demùm cognitione.* Non ex aliâ causa quādum quod judicium muliebre fragilis & in- *firmius est virili. 5. Filio etiam exheredato.* l. 4. pr. l. 10. §. 2. in *fin. l. 31. ff. de testam. tutel.* quia per exheredationem filius non *desinit esse in potestate. l. 20. pr. ff. de bon pos. contr. tabul.* 6. *Fili-* *naturali.* non tamen sine inquisitione & judicis decreto l. na- *turali 7. pr. ff. de confirm. tutor.* nisi simul pater instituat eum *in certâ bonorum parte, cuius respectu & tutorem dare con-* *ceditur sine inquisitione l. fin. C. de confirm. tutor.*

72 Ad Tit. XIV. qui testamento tutores dari possunt.

TITULUS XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES  
dari possunt.

Continua- 1. Cùm potior sit ratio Testamentariæ Tutelæ primo loco  
tio. agitur in hoc titulo de personis, quæ in testamento vel dantur  
vel non dantur.

Quenam 2. Dari autem possunt 1. Paterfam. 2. Filiusf. qui in publi-  
personæ cis causis pro patref. habetur. l. 9. ff. de his qui sunt sui vel alien.  
dentur. 3. Servus proprius cum libertate. quia etiam sine libertate da-  
tus ex tacitâ defuncti voluntate fit liber & per hoc Tutor. quo-  
niam qui vult unum vult etiam alterum sine quo illud unum ex-  
pliari nequit. arg. l. 2. ff. de Jurisdict.

Quæstio. 3. [De eo autem est quæstio, directam ne hoc casu an Fideicom-  
missariam libertatem servus consequatur? Imperator noster direc-  
tam concedit. § 1. h. t. Imperatores Valerianus & Galienus fideicommissariam. l. et si non adscripta g. C. de fideicommiss. Li-  
bert. quæ lex huic §. nostro maxime obstat. Verum d. legi g. est  
derogatum per Imperatoriam constitutionem, quæ est L. quidam.  
§. in fin. pr. C. de necessar. Serv. hered. insit. una ex novissimis 50.  
constitutionib. Nisi enim ita rem conciliaremus, Antonomia le-  
gum hoc casu vix poterit evitari. Aut dicimus quod fidei com-  
missaria libertas habeat vim & efficaciam directæ secundum l. 40.  
§. 1. ff. de manumiss. testam. Inter directam & fidei com-  
missariam libertatem, quantum alias intersit, docebit Tit. pen. Lib. 2. de  
sing. reb. per fideic. relict.]

4. IV. *Servus Alienus* adiectâ tamen conditione: *cum li-  
ber erit*. §. 1. h. t. quin imò etsi purè sit datus, inesse tamen vide-  
tur hæc conditio: *cum liber erit*. l. 10. §. 4. ff. de testam. Tutel. ut  
possit fideicommissaria libertas ei defendi per heredem, quasi  
hicrogatus sit servum alienum redimere & facta redemptione ex  
præsumpta testatoris voluntate, manumittere §. non solum 4.  
Infr. de legatis. quamvis dictæ l. 10. §. nostra 1. ad versari videatur,  
intelligendus tamen est, quod pura datio per se quidem non va-  
leat,

**Ad Tit. XIV. qui testamento tutores dari possunt. 73**

leat, attamen utilis sit, si conditio ista cum liber erit, subaudia-  
tur. quod in Institutionib, ex incuria forte Compilatorum omis-  
sum hoc ascribendum est ex latiorib. Digestorum libris.

5. Hactenus de personis quæ dantur: sequuntur nunc per- Qua non  
sonæ quæ dari non possunt, utpote sunt. I. *Servus errore liber datur.*  
*habitus.* Nam hoc casu, Tutela ipsi designata, libertatis præsta-  
tioni non patrocinatur. I. generaliter 24. §. 9. ff. de Fideicom.   
*Libertat.* II. *Servus proprius datus cum conditione:* Cum li-  
ber erit, in fin. §. nostri i. ratio est, quia quod in nostrâ est potesta-  
te, in casum conferrinon debet. I. quia ratio 22. ff. de condit. In-  
stitut. III. *Furiosus,* adhuc furore correptus. I. si hereditas 10. §.  
si furiosus. 3. ff. de testament. tutel. cessante tamen furore recte vi-  
detur datus. d. §. 3. IV. *Minor.* 25. annis. §. fin. Infr. de Fidu-  
ciar. Tutel.

6. His addi possunt. V. *Mutus:* Tutor enim loqui debet.  
I. §. 2. ff. de tutel. VI. *Surdus:* quia pupillo authoritatem  
non præstare potest d. l. i. §. ult ff. eod. VII. *Cacus,* qui omnino  
oculis est privatus. I. *luminib.* 3. C. qui dare tutor. vel curator. poss.  
VIII. *MILES.* I. *militia* 4. C. eod. IX. *Mulier.* exceptâ tantum  
Matre vel Avia, quæ ex rescripto Principis tutrix esse potest. I.  
fin. ff. de tutel. eo casu quo renunciaverit secundis nuptijs & be-  
neficio Sæti Vellejan. I. 2. cum Auth. seq. C. quando mul. offic. tu-  
tel. fung. poss.

7. Recensitæ sunt personæ quæ intestamento possunt & non Quemodo,  
possunt tutelæ præfici. Jam in §. 3. b. t. subjeicitur de Tempore &  
modo quando sc. & quâ ratione Tutela utiliter detur. Et dicitur  
non solùm pure & simpliciter dari sed etiam I. *Ad certum tem-  
pus,* ut V. C. usq; ad Pentecosten tantum quis tutor sit. vel sit ad  
annum aut biennium. Elapso isto tempore finitur tutela testa-  
mentaria & in ejus locum surrogatur alius Tutor. II. *Ex certo  
tempore.* Veluti à Calendis Augusti. cuius natura hæc est ut ante  
diem sic datus Tutor non administret, sed medio tempore à judi-  
ce alius datus L. si quin u. pr. ff. b. t. cuius officium expirat adveni-  
ente

74 *Ad Tit. XIV. qui testamento tutores dari possunt.*

ente die. §. 1. *infr. de Attilian. Tutor.* III. *Ex certâ conditione*  
Veluti si duxerit uxorem, aut si hoc vel illud factum fuerit, tunc  
tutor sit. pendente conditione alius interim tutor est dandus *d.*  
*l. ii. pr. ff. b. t.* deficiente verò conditione tutor non erit. *l. 8. §. 1.*  
*ff. b. t.* IV. *Ad certam conditionem:* Veluti Titius sit Tutor  
filiorum meorum, usq; quò non duxerit uxorem. Nam èa con-  
ditione adveniente definit esse tutor. §. *sed et si 2. Infr. quib. mod.*  
*tutel. finiatur.*

8. Sed hoc dicitur de solâ *testamentaria Tutelâ.* Nec enim  
§. *bis 3.* pertinet ad dativam s. honorariam, quippe hæc actus le-  
gitimus est, recipiens neq; diem neq; conditionem. *l. actus legi-.*  
*timi 77. ff. de R. J.* adeoq; etiam judicialis, qui in pendentii non  
esse potest *l. non quemadmodum 35. ff. de Judicijs.* sic nec multò  
minus ad Legitimam pertinebit. Nam & hæc *ex l. 12. Tabul.* sine  
die & conditione Agnatis defertur.

*Quo loco* 9. Agit insuper etiam *d. §. 3.* de loco vel testamenti parte,  
*s. ordine.* quo vel quâ nam scribi & denominari possit. num ante vel post  
heredis institutionem? & dicitur non dubitari. *h. est. nihil in-*  
*teresse quâ testamenti parte sit scriptus.* Ordo siquidem scriptu-  
ræ non adeò curiosè, ut olim, observatur. §. *ante heredis insti-*  
*tutionem. 34. Instit de Legat.*

*Ad quid.* 10. Datur Tutor *Personæ* principaliter *s. 4. b. t. supr. th. 6.*  
*Ad tit. de Tutel.* ut eam alat, optimisq; vitæ morib. exornet, vel  
constituat ipsi Praeceptores, ijsdemq; debita salario præstet. *l. cum*  
*plures 12. §. 3. ff. de administr. Operic. tutor.* Non vero datur Rei  
quæ certa & aliqua individualis res est. *l. certarum 12. ff. de testam.*  
*tutel.* interim tamen bene potest dari rei quæ est universalis. §. *17.*  
*infr. de excus. tut.* sic & rei in certo loco sitæ. V. C. rei Africanæ vel  
Syriaticæ *l. si tamen. 15. ff. eod.* Nā ut persona non recipit divisionē,  
ita nec tutela, quæ personæ datur. Et sicut partitionem respuit in  
principalii, ita & in administratione bonorum accessoriâ, quæ ex  
naturâ principalis debet aestimari *l. cum principalis 178. ff. de R. J.*

11. Sic nec datur *certæ cause* V. C. ad unam aliquam actionem  
vellitem contra hunc vel illum prosequendam. Nam cùm  
universa

*Ad Tit. XV. de Legitimā Agnatorum Tutela.* 72

universa pupilli bona debeat administrare, Bonis verò etiam adnumerentur omnes lites & actiones *l. honorum appellatio 49. ff. de V. S.* imperfecta foret pupilli defensio, si in uno ipsi esset consultum in ceteris non.

12. Tutor, sic ut debet, testamento datus *Filijs intelligitur & Paragr. datus filiabus l. 16. pr. b. t. & posthumo posthumæq; l. si quis s. ult. ff. b. t.* Datus LIBERIS intelligitur & datus nepotib. & qui sunt illis inferiores *l. 6. ff. b. t. §. ult b. t.* Econtra vero datus *Filijs non censetur datus NEPOTIBUS. d. l. 6.* quia angustior est filiorum quam liberorum appellatio. Nec obstat *l. 84. ff. de V. S.* Ubi filiorum appellatione omnes liberi contineri dicuntur. Nam respondetur ex *subseq. L. liberorum 220. §. 1. ff. eod.* quod id sape accidat. Ergo non semper. Nec hinc opus est, ut contineri dicamus, tametsi enim Tutor ex testamento non existat, aliud tamen ex Magistratus judicio haberi potest.

13. Datus autem Posthumis intelligitur datus tam filiis quam nepotib. & quocunq; gradu post mortem Testatoris natis. *d. §. ult. b. t. & d. l. 6. in fin. ff. eod.*

**TITULUS XV.**  
**DE LEGITIMA AGNATORUM**  
**Tutela.**

1. Deficiente Tutelâ Testamentaria succedit Legitima. *Deficit autem non solum eo casu, quo defunctus non fecit testamen- succedit tum; Sed & si fecit, in eo tamen liberis de nullo Tutore pro- Legitima. spexit. §. 2. b. t. l. 6. ff. eod.* Vel si prospexit. Tutor tamen vivo testatore *d. §. 2.* vel etiam post mortem Testatoris filio adhuc impubere manente decesserit. *d. l. 6. in fin.*

2. Non succedit Legitima, si Tutor testamento datus, postea *Quando- verò semel facta devolutione vel excusatus l. ii. §. 1. ff. de testam. non.* Tutel. Vel remotus fuerit. *§. 2. d. l. ii.* Nam utroq; casu dativa locum habet. Idem juris est in tutori sub conditione vel ex certa die dato. Nam medio tempore & pendente conditione à Ju- dice

76 Ad Tit. XV. de Legitima Agnatorum Tutela.

dice quis dandus erit. supr. s. b. 7. tit. præced. quamdiu enim testamentaria speratur, tandem cessat Legitima. d. l. n. pr.

Quenam 3. Est autem Legitima Tutela administratio, quæ vel verbis vel mente L. 12. Tabular. vel simili ratione defertur proximis agnatis, patronis, parentib. aut fratrib. emancipatis, ut iij pupillis imþuberibus utiliter præsint.

Unde dicatur. 4. Dicitur Legitima à Lege, quia Lex hujusmodi Tutelam principaliter introduxit, non hominis dispositio vel ulla Magistratus authoritas. L. legitimos s. ff. de legitim. Tutor.

quotuplex. 5. Et est quattuplex I. AGNATORUM. II. PATRONORUM. III. PARENTUM. IV. FRATRUM emancipatorum. quæ in specie dicitur Fiduciaria. prout ex ordinabrum constabit.

quare A- 6. Agitur in hoc præsenti titulo de tutela Agnatorum. Nam gratus de his ipsis Lex 12. TABUL. ut hereditatem sic quoq; tutelam defertur. fert, summâ providentia: ut qui sperant hereditatem Impuberis, ijdem & tueantur bona, nedilapidentur. l. 1. pr. ff. b. t. quippe secundum naturam est, ut incommoda cuiusq; rei cum sequantur, quem sequuntur commoda. l. secundum naturam. ff. de R. J. Olim enim successio tantum debebatur AGNATIS. Et si plures erant Agnati in pari gradu ad omnes simul pertinebat tutela. §. ult. s. seq. ut ea tamen magis idoneo committeretur, periculo omnib. imminentे. Auth. sicut hereditas. C. de legitim. Tutor.

7. [ Sed hodie tam Agnati quam Cognati ( qui sunt in pari gradu ) æqualiter & ad successionem hereditatis & Tutelæ onus, non existentib. Ascendentib. vocantur c. s. Nov. 118. ]

qui nam 8. Sunt autem AGNATI, qui nobis paternâ origine per virilis sexus personas sunt conjuncti: Veluti Frater ex eodem patre, natus ( qui dicitur consanguineus, ) ejusdem filius, neposve ex eo. §. 1. b. t. [ Hinc frater ex eâdem matre, alio tamen patre, Vitrico sc. natus ( qui dicitur Uterinus ) non est mihiagnatus sed tantum cognatus. l. fin. §. 2. C. de legitim. heredib. ] Item patruus.

quia

quia per masculum, patrem sc. meum mihi conjungitur. sicut & filius ejus neposve ex eo. l. 7. f. b. t. quod & de Amita verificatur. non tamen æquè de filio filiave ejusdem. d. f. nostro. i.

9. Habent Agnati idem Gentilitatis nomen, eisdem imaginis, eadem signacula, eandem familiam, eadem sacra. Ideoq; discernuntur à COGNATIS, quib. hæc omnia cum ipsis non sunt communia.

10. Et sunt quinobis maternâ origine per feminini sexus per Qui Consonas sunt conjuncti. utpote filius & filia Sororis sunt mihi cognati. ti, nam mihi junguntur per sororem. Item filius & filia Amitæ, quoniam & hi me contingunt per feminam Amitam. De Matre quæritur an & hæc mihi sit cognata? Videlur quod sit agnata. quia per virilem sexum mihi jungitur. Verum non est. Nam jungitur mihi per semet ipsam, Ideoq; est tantum cognata.

11. Sed AGNATIONIS & COGNATIONIS differentia hodie est sublata. c. 4. Novell. 118.

12. Sicut Agnatio à jure civili est introducta, ita & per jus Agnatio- civile iterum tollitur. Nam eo genere dissolvere quid, quo est nem tollit. colligatum, ipsæ naturæ convenient. L. nihil tantum naturale. 35. ff. de R. J. Ideoq; etiam tollitur per capitis deminutionem, quæ est juris civilis.

13. Cum autem capitis deminutio sit triplex, ut ex seq. tit. patet. queritur anne per quamlibet? dicit textus: omnib. modis plerung perimi. dubium ergo recipit vox plerunq; quæ tamen non loquitur de Maximâ vel Mediâ quib. absq; omni dubio semper sine ullâ restrictione. perimitur super est igitur Minima. Minima. quæ duos casus excipit. prior est duorum fratum, quorū alter est Cap. de emancipatus. l. frater 4. C. de Legit. tutel. posterior est filij à patre min. per Justinianeam emancipationem dimissi. l. ult. C. de emancipat. Liberor. vid. thes 30. supra Ad tit. quib. mod. jus patr. potest solv.

14. Hæc minima capitris deminutio licet plerunq; tollat ea non cognationem, quæ sunt juris civilis, non tamen quæ sunt juris naturalis utpote tionem. cognationem perimere potest. s. fin. b. t. l. eas obligationes 8. ff. de capit. deminut. Nam hanc tollit tantum Maxima & Media.

78 Ad Tit. XVI. de Capitis Deminutione.

per §. 6. t. seq. quoad sc. officia & jura quæ lex civilis tribuit cognatū, ut possint succedere tutelam ve administrare: Non verò simul quoad sanguinem. *l. jura sanguinis 8. ff. de R. f.* Nam qui semel pater vel frater fuit nullā lege civili desinit esse pater vel frater.

TITULUS XVI.

DE CAPITIS DEMINUTIONE.

Continua-  
tio.

1. Cum in præcedent titulo facta fuerit mentio *Capitis deminutionis*, hic terminus autem paulo obscurior sit, explicandus fuit hoc peculiari titulo, ne videatur Imperatorem procedere ex ignotis.

2. *Caput* significat hominis statum qui consistit I. in Liberate. II. civitate. III. Familia. ut supr. thes. i. de jure pers. dictum est.

3. Definitur hic *Prioris status PERMUTATIO*. quæ definitio perfecta non est, quia non reciprocatur cum suo definito. Nam & per mortem patris mutatur status filij, interim tam non capite minuitur *l. si quis patrem f. 3. §. ult. ff. Ad scđum. Macedon.* Ideoq; ipsi addenda sunt verba: *Ex facto hominis proveniens.* quia mors contingit non hominis sed solius Dei facto.

4. Triplex est MAXIMA, MEDIA & MINIMA.

5. Maxima est, quâ quis libertatem civitatem & Familiam amittit. Idq; accidit servitute pñæ §. 3. supr. quib. mod. patr. potest. solv. ingratitudine erga Patronum. *l. 2. C. libert. & eor. liber. venditione sui ipsius ad participandum pretium. l. 5. §. 1. ff. de stat. homin. alias modos vide in thes. 9. supr. Ad tit. de jure person.*

6. Minor s. media est, quâ quis retentâ libertate civitatem & familiam amittit. quod accidit *Aqua & ignis interdictione.* Hoc pñæ genus omnis juris divini & humani communionem adimebat, *Aquâ res humanas Igne divinas repræsentante.* Sed sublatum est ejusq; in locum successit DEPORTATIO. [qua & qualis

**qualis si suo loco tradidi supr. thes. s. & 6. Ad. tit. XII.] & Excom-  
municatio. Major sc. non æquè Minor.**

7. Nam **Minor** est per quam quis à Sacramentorum participatione arceatur. **Major** verò est per quam quis non solum excluditur à participatione Sacrament. sed & communione Fidelium, quæ ab omni legitimo actu separat ac dividit. Nam cum his qui majori excommunicatione damnati sunt, non est communicandum. *c. cum desideres 15. Extr. de sent. excommun.* Et sicut Deportati non possunt agere, judicare vel testificari. quia quoad actus civiles mortuorum loco habentur *l. i. §. 8. ff. de Bonor. poss. ff. contr. Tab.* ita nec Excommunicati, *c. decernimus 8. Extr. in sexto de sent. excommunicat.*

8. **Minima** est quâ quis reteniā libertate & civitate tantum **Minima.** **FAMILIAM** amittit. Et hoc sit dupli modo: Adoptione & **jura Agna-  
tionis** Emancipatione. *l. 4. §. pen. ff. De gradib.* Nam per utramq; **A-  
gnationis JURA** tolluntur, quia nomine excepto nihilo plus in patris familiâ juris habent quam Extranei. Horum enim loco cùm emancipati habentur *§. 3. Inst. de Exhered. Liberor.* tūm Adoptioni quoad patrem naturalem *§. seq. 4. Inst. eod.* quod tamen recipit uti dictum *th. 13. Ad. tit. præc.* limitationem in **emancipatio-  
ne Justinianæ.**

6. Et sicuti tolluntur **jura Agnationis** ita & omnes actiones & obligationes civiles stricto jure percunt. Nam cùm Arrogatus omnia bona & per consequens obligationes *l. 49 ff. de V. S. ad Arrogantem* transferat, non amplius ex suâ personâ eas persequi potest. Sic econtra nec conveniri à suis creditorib. quorum actio inanis redditur per id quod in bonis nec quicquam habeat. *l. 6. ff. de dolo malo.* Et quod dicitur de Arrogatis id & verum est de Emancipatis. Nam hi olim non aliter sui juris fiebant quam per imaginariam servitutem, cui nulla civilis obligatio adhærescere potest. *l. 3 ff. b. t.*

*Et obliga-  
tionum  
tolit.*

10. Ut sit capitum deminutio, requiritur status. *ut dictum in Item sua  
definitione.* Nam privatio presupponit habitum. *l. centum u6. tum pri-*

80 Ad Tit. XVI. de Capitis Deminutione.

ff. de V. Obl. Cum itaq; in servo non sit status. d. l. 3. ff. b. t. pre-  
inde nec capite deminui poterit.

*Non publi-  
cum.* 11. Perimit capitinis deminutio ea quæ sunt juris civilis exce-  
pto tamen statu publico. Nam iura publica non æque per illam  
interverti constat ex l. 5. §. ult. ff. b. t. illis enim per privatorum  
Actus aliquid derogari absurdum esset. l. 28. ff. de paetis. Si itaq;  
Filius f. in dignitate fuerit, utpote Magistratus senator vel judex,  
idem ille permanebit post emancipationem vel Adoptionem d.  
l. 5. §. ult.

12. In tantum, ut licet privatus fuerit illa dignitate tamen  
capite non deminuatur. Eta est ratio: quia nemini sua dignitas de-  
bet esse nociva. l. ad invidiam 6. C. de his quæ vi metus ve caus.  
gest. sunt. Si tamen propter aliquam turpitudinem remotus fue-  
rit ab officio. s. dignitate, existimatione diminuitur l. 5. §. 2. ff.  
de Extraord. cognition. h. e. efficitur infamis, ita ut nec judex in  
posteriorum nec testis esse possit. l. 2. ff. de senatorib. juncta l. 6. §. 1.  
ff. Ad l. Jul. repetund. Infamib. enim portæ dignitatum non  
patent. c. cum infamib. de R. f. in sexto. neq; illis debetur honos,  
qui solus integræ dignitatis hominib. defertur. l. un. C. de Infamib.

13. Dictum est tb. ult. tit. preced. quod cognationem non  
minima sed maxima & Media capitinis deminutio tollat. hoc ipsum  
confirmatur per hunc § 6. Maxima tollit, veluti per servitutem ali-  
enijus cognati. quæ servitus licet sublata sit per manumissionem,  
non tamen per eam recipitur cognatio. Nam non datur regres-  
sus à privatione ad habitum. arg. l. 3. ff. de capit. deminut. quod  
verum est in habitu planè extincto secus in eo qui tantum est ve-  
latus. sicut habemus exemplum in l. instantum 6. pr. ff. de R. Di-  
vis. Ubi littus maris si cooperatum fuerit, per inædificationem oc-  
cupantis sit. sed ædificio lapsi redit in pristinā causā h.e. in publicum  
revertitur. Nota tamen quod restitutio Principis pñæ Ser-  
vo facta, plus operetur quam manumissio. Illa enim non tantum  
servitutem tollere potest sed & reddere cognationem. L. 1. §. fi-  
lio qui. 4. ff. Ad Sētum Tertullian. l. ult. §. fin. C. de in integr.  
restitut.

14. In

14. In §. ult. b. r. sit regressus ad materiam ordinariam, quæ propter terminum Cap. Deminut. explicandum hactenus fuit intermissa. de hac vid. thes. 6. Ad tit. præced.

*TITULUS XVII.*

**DE LEGITIMA PATRONORUM  
Tutela.**

1. Primā Legitimæ tutelæ specie absolutā sequitur nunc iusto ordine secunda quæ dicitur *Patronorum*.

2. Quæ est potestas non expressis verbis sed ex mente s. sententia L 12. TABUL. patrono delata, uris suscipiat Libertorum impuberum defensionem.

3. Defertur ex mente legis. quod idem est ac si ex ipsa lege sit delata. siquidem mens legis pro ipsa lege habetur l. nominis 6. §. 1. ff. de V. S. scire enim leges non est verba eorum tenere, sed vim & potestatem. l. 17. ff. de LL. quippe in fraudem legis facit, qui salvis verbis sententiam ejus velit circumvenire. l. 29. ff eod. Est autem mens ipsa ratio legis. ubi hæc locum habet ibidem & legem valere existimandum est. l. ult. C. Ad L. Falcid. l. illud 32. pr. ff. Ad L. Aquiliam. Hoc enim argumento utitur Justinianus: Lex Agnatis defert tutelam, ob rationem, quod spes hereditatis ad illos pertineat. Atqui spes hereditatis libertorum ad Patronos pertinet. Illis enim succedunt. ut patet. extot. tit. infr. de success. Libertor. Ergo & Lex ad eos libertorum tutelas pertinere voluit.

4. Nam Tutela Hereditatis comes & sequela est. l. 3. pr. in Verb. per consequentias Hereditatum. ff. de legitim. tut. l. quod tutela 73. ff. de R. J. ex Regulâ naturalis æquitatis. quod ibi debeat esse onus ubi est emolumentum. l. secundum naturam 10. ff. de R. J. c. qui sentit. de R. J. in sexto.

5. Fallit tamen hic oneris & commodi consursus in duob. casib: I. in Fæminâ. l. ult. ff. de tutel. junct. l. 2. ff. de R. J. non tam omni. de quâ re vid. thes in 6. Ad tit. XIV. II. in minore 25. annorum. l. ult. §. fin. C. de Legitim. Tutorib.

**TITULUS XVIII.****DE LEGITIMA PARENTUM  
Tutelâ.**

1. Ordine sequitur nunc tertia species, quæ dicitur *Parentum* & est ex simili ratione ad exemplum Patronorum introducta.

2. Nam si parens filium aut filiam, nepotem & neptem ex filio, *contractâ fiducia* id est, specialiter legitima successionis iura sibi reservando §. ult. *Inst. de legitim. Agnator. success. emancipaverit*, eorum etiam defensor fit, & vicem legitimi tutoris sustinet, *uti verba l. 3. §. ult. f. de legitim. tut. habent.*

3. Sicut enim Patronus propter servi manumissionem ejus heres legitimus fit. *ut tit. præced. dictum est.* eodem modo pater propter filij manumissionem legitimum succedendi jus nanciscitur matre exclusa L. 2. *Ad Sæcum Tertullian.* consequens itaq; erat ut & legitimus tutor dicatur. *uti hoc fit in l. 5. C. de dolo malo.*

4. Cæterum in quantum manumissio Dominorum cum manumissione parentum comparetur, *dictum est supr. thes. 31. & seq. 32. Ad Tit. XII.*

**TITULUS XIX.****DE FIDUCIARIA TUTELA.**

1. Sequitur nunc ultima species quâ sc. *Frater emancipatis* *sui fratri* defensionem suscipit, idq; defuncto patre emancipante. l. 4. f. *de legitim. tutor.* quæ tutela cum ipsi non defecatur ex spe hereditatis, quam propter extinctum agnationis jus non consequitur, non poterit dici *LEGITIMA*, ideoq; vocatur *FIDUCIARIA*; & frater qui eam gerit, *tutor FIDUCIARIUS* d. l. 4. ex eo quod Lex confidat de fidelitate fratri, inq; eum magnam fiduciam & spem ponat, quasi nemo eo fidelius & diligenter administratur esset res fratri impuberis propere quod tam propinquâ sanguinis coniunctione ei ad charitatem plus quam ulli extranco sit devinctus.

2. Sed

2. Sed obstat videtur: quod idem jus sit parentum & patrōrum §. 6. in fin. supr. supr. quib. mod. patr. potest solv. jam verò Liberi patrōrum sunt legitimi & non fiduciarij tutores. Ergo & filij parentum erunt tales, quo argumento ipse noster Justinianus utitur. Verū parata est responsio in hoc tit. *Dissimilem sc. efferationem inter liberos parentis & patroni.* licet idem jus maneat quoad parentem & patronum. quia si Libertus patrōni servus mansisset, post mortem Domini in dominicam liberorum ipsius potestatem jure hereditario recidisset. adeo ut ab unoquoq; liberorum potuisset manumitti & per manumissionem nancisci jus successionis & tutelare. *quod non potest dici de filio defuncti parentis.* Qui si à patre vivo non esset emancipatus post obitum ejus sui juris esset effectus, neq; recidisset in fratribus potestatem ullo vel hereditatis vel patriæ potestatis jure. ideoq; & per consequens nec in tutelam potuit venire.

3. Sed totus hic titulus jure Codicis est immutatus. Sunt enim hodie fratres non Fiduciarij sed Legitimi: uti constat ex l. 4. C. de legitim. tutel. l. ult. §. sed nec fratrem 2. C. de Legitim. heredib. Sic & iure Novellarum quo Agnationis & cognationis jus est sublatum. c. 4. Nov. 118.

4. FRATRES autem intelliguntur perfectæ ætatis h. e. qui sunt 25. annorum. l. ult. §. fin. C. de legitim. tutorib. Nam ita vocatur in l. cum de indebito 25. §1. ff. de probation. quæ ætas etiam dicitur ætas robusta l. si maritus 15. §. 6. ff. Ad L. Jul. de Adulter. ætas legitima. l. ult. C. de his qui veniam ætat. imp. ætas plena & integra. l. ult. pr. vers. sancimus. C. de bon. quæ liber.

## TITULUS XX.

### DE ATTILIANO TUTORE.

1. Explicite tractatu ad legitimam Tutelam pertinente, justo ordine transitus fit ad tertiam Tutelæ speciem, quæ D'ATIVA. s. Honoraria nuncupatur.

2. Est autē actus Legitimus, per quem datur Tutor impuberi à Magistratu(a) ad petitionē matris vel propinquorum (b.) testamen-

stamentarijs vel legitimis non existentib. (c.) ut eum defendat.  
(d.) & finitâ tutela rationem reddat. (e.)

3. (a.) Datur à MAGISTRATU] non quovis sed eo, cui Lex  
Sctū vel Princeps speciatim hoc demandavit. Nā Tutoris datio  
non est imperij neg. jurisdictionis. dicit L. 6. §. 2 ff. de Tutel.  
h. e. non potest quis, quamvis sit Maximus Magistratus, habens  
imperium & jurisdictionem, vi & vitute Imperij & jurisdictionis  
suæ dare tutorem, nisi hoc nominatum ei sit permisum.

Ad. pr. b.t.

4. Nam à principio solus PRÆTOR URBANUS & Major  
pars TRIBUNORUM plebis. (Sex ad minimum sc. Nam eo-  
rum numero X. fuerunt.) ex L. Attilia: PRÆSES Provinciæ  
ex L. Juliâ & Titiâ Tutores tantum dare poterant. pr. h. t.

§. 5.

5. Sed per hanc Tutoris dationem ex his Legib. descenden-  
tem non satis prospectum pupillis erat: cùm à Tutorib. cautio;  
rem salvam pupillis fore, non exigeretur, nec certa & ordinaria  
remedia inducta fuerint, quib. potuissent invitati ad administra-  
tionem compelli. (quamvis extra ordinem coactos reperimus.  
in L. i. pr. ff. de Administr. & peric. Tut.) Ideoq; factum est con-  
stitutione D. Claudij, ut in posterum cum inquisitione dare-  
tur Tutores.

6. Quæ INQUISITIO quatuor potissimum absolvitur re-  
bus: inquirendo sc. 1. An dandus Tutor morib. si honestis. 2. An  
locuples. 3. An se obtruserit tutelæ. vel 4. eam pecuniâ ambive-  
rit. l. seire oportet 21. §. 5. & 6. ff. de tutor. & curator. datis.

7. Et hoc modo primus cœpit dare consul. pr. §. 3. Et ut eō  
diligentiū de Tutorib. tractaretur, à D. Marc. ANTONINO  
Philosoph. speciatim PRÆTOR, qui Tutelaris dicebatur, consti-  
tutus fuit. Item cœpit dare PRÆFECTUS URBI §. 4. Præf-  
etus Ægypti. Proconsul. l. i. pr. ff. de tutor. & curat. dat. Lega-  
tus Proconsulis ex D. Marcis constitutione d. l. i. §. 2. ff. eod. Ju-  
ridicus Alexandrinæ civitatis §. 5. h. t. l. 2. ff. de officio juridici.  
[ Sed unusquisq; secundum suam jurisdictionem; §. 4. b. t. hoc  
est, debet dare eum quem habet in suâ jurisdictione sibi suppo-  
peditum, vel ratione originis vel ratione possessionis vel dominij  
l. jas

1. *jus dandi. 3. ff. de tutor. vel curat. dat. quia jurisdictionem extra territorium suum in neminem potest exercere. l. fin. ff. de jurisdiction.* ]

8. Et uti §. 4. subiicit, ipse PRÆSES Provinciæ, qui ex L. Julij & Titi ante non inquirebat, dat jam non aliter nisi cum inquisitione. Vel si ipse non vult dare, dat *jussu ejus* alias, Magistratus sc. Municipalis cui tamen hoc etiam Lege specialiter concessum est. *ut patet ex L. jus dandi 3. ff. de tutor vel curat. dat. in reb. pupilli tenuiorib. in fin. §. 4. b. t.*

9. Nam Præses jus Universale in omnes totius provinciæ adeoq; universorum & singulorum municipiorum pupillos habet. Ideoq; & cum omnib. & singulis Magistratib. municipaliib. *in dandi tutoris jure concurrit*, & ejus imperium fortius, potentius & prius est. Si itaq; contingit casus, quo Tutor est dandus refertur prius res ad Præsidem, qui potest dare Tutorum, si suo jure uti velit, & cessabunt tunc partes Magistratus Municipalis. Ubi verò Præses est occupatus vel nolit dare Tutorum, tūm illæ futurae sunt partes Magistratus Municip. cui debet hoc indicari *jussu s. admonitione ipsius Præsidis & si tunc monitus non dederit, actione subsidiaria, de quā fiet mentio in §. 2. Infr. de satudat. Tutor. conveniri potest. l. 9. s. Magistratib. 6. ff. de Magistr. convenient.*

10. Sed & hoc postmodum novissimo jure (*per constitutionem quam amplius ad manus non habemus*) correctum ipsiq; Magistratib. Municipalib. tūm & Defensorib. civitatum permisum est, ut jam non expectata jussione Præsidis pupillis quingentenarijs h. e. 50. solidos s. aureos in bonis habentib. de sententia Antistitis s. Episcopi tutores create possint. § 5. b. t. L. 20. C. de Episcopal. Audient. cum tamen satisfactione rem pupilli salvari fore competenter exactâ. §. 5. infin. §. ult. Infr. de satudation. quam Satisfactionē ut faciant suo ipsorum periculo Imperator Trajanus primō introduxit. l. pen. C. de Magistr. convenient.

II. Et hoc obtinet Jure Justinianeo. Hodie enim ex recepta consuetudine Tutoris datio est penes quemcunq; cuiusq; loci

70      *Ad Tit. XXI. de Authoritate Tuthorum.*

loci ordinarium Magistratum, ut non malè quis dixerit, eam hā-  
die non esse amplius tām Legis, quām Jurisdictionis s. imperij & jure  
Magistratus competere. [ redeamus ad definitionis verba. ]

12. (b) Ad Petitionem M A T R I S vel Propinquorum ] quæ  
personæ nisi intra annum pupillo prospiciant de tute omni  
eius successione privantur; si is in ætate pupillari decesserit.  
textus est expressus in l. sciant omnes. 10. C. de legitim. heredib.

13. (c) Testamentarijs vel legitimis non existentib. ]  
Nam 1. quotiescumq; nulla spes est testamentarij aut legitimij tu-  
toris, tunc demum locus est dativis s. Attilianu Tutorib. 2. Si te-  
stamentarius sub conditione aut ex die vel hereditate nondum  
aditâ, datus fuerit, aut alioquin ab hostib. captus; Honorarium  
interim posse dari Tutori usq; ad conditionis eventum vel re-  
ditum testamentarij ab hostib. non est dubium per text. §. 1. & 2.  
b. t. & th. 7. supr. Ad tit. XIV.

15. (d.) ut eum defendat. ] Nam in hoc Tutoris officium  
præcipue consistit l. 30. ff. de administr. & peric. tutor. quod &  
naturali juri conveniens est, quia propter ætatis imbecillita-  
tem se ipsum tueri nescit §. pen. b. t.

16. (e.) Et finitā tutelā rationem reddat. ] Nam & hoc  
ad officiū tutoris pertinet rationes actus sui confidere, easdemq;  
pupillo reddere l. i. pr. & 3. ff. de tutel. & ration. distrahend. &  
quicquid reliquorum nomine debet. l. 9. C. Arbitr. tutela. præ-  
stando dolum & culpam latam & levem d. l. i. pr. Habet itaq;  
pupillus duplex judicium contra tutorem suum. Actionem Tu-  
telæ. & Actionem de distrahendis rationib. Prior datur in sim-  
plum & propter dolum ac culpam latam & levem. posterior da-  
tur in duplum & propter dolum tantum, quia nascitur ex inter-  
ceptione rerum pupillarum.

TITULUS XXI.  
DE AUTHORITATE TUTO-  
RUM.

1. Actum est de tribus Tutelarum speciebus, nunc de carun-  
dem

dem effectu dispiciamus: qui constitut potissimum in Authoritate Tutorum.

2. Quæ est Approbatio ejus negotij quod geritur (a.) inter pupillum & extraneum (b.) præsente (c.) & intelligente Tute. (d.)

3. (a.) Hoc enim est auctorem fieri probare quid agitur dicit l. 3 ff. b. t. si agitur inter pupillum & extraneum. (b.) quippe in rem suam Auctor fieri nequit Tutor s. fin. b. t.

4. (c.) Præsente] debet enim personaliter interessere ipsi negotio. Nam nihil agit post tempus, intellige longū l. 31. pr. ff. de usucaption. post verò modicum tempus perfecto etiam negotio (antquam sc. jam ad alia negotia discessum fuit) authoritatem suam recte videtur interponere l. 25. s. 4. ff. de acquir. vel omittend. heredit. quæ enim in continenti sunt, negotijs ipsis inesse creduntur. l. 7. s. 5. ff. de patris l. 40. ff. dereb. credit. Cùm itaq; persona ipsa requiratur non sufficit per Epistolam quæ mittitur inter Absentes s. 2. Inst. de obligat. ex consens. hoc expediti s. hoc 2.

5. (d.) Et intelligente Tute] Nam non multum inter est, absuerit tutor, cùm negotium contraheretur, an præsens ignoraverit, quale esset quod contraheretur. l. non multum 14. ff. b. t.

6. Hæc Authoritas Tutorum in quibusdam causis est necessaria, in quibusdam non est necessaria.

7. Non necessaria est in causis quib. meliorem conditio nem reddit, dum sibi acquirit & nihil vicissim præstat pr. b. t. utpote stipulando vel accipiendo donatum legatumve.

8. Non tamen æquè hereditatem adeundo vel bonor. possessionem petendo, quamvis sit ipsi lucrosa NEC ullum damnum sentiat. s. 1. b. t. quia hereditas licet opulenta, sine animi judicio quo pupillus caret, adiri nequit. l. pupillus s. ff. de Acquir. heredit. & sapientius, cùm locuples videtur, legatorum onera, æris alieni cumulum & alia incommoda secum trahit. l. quia poterat fieri. 4. ff. Ad Sæcum Trebellian.

N 2

9. Neces-

9. *Necessaria* est in causis quib. pupillus conditionem suam deteriorem facit. dum sc. alijs ad præstandum quid se obligare vult l. 9. pr. b. t. quod sit in omnib. contractib. ex quib. nascuntur mutuae actiones. in fin pr b. t.

**Questio.**

10. Hic queritur cùm se non possit obligare, An hoc civiter velan sit etiam naturaliter intelligendum? qui naturaliter dicunt se fundant in L. 59. ff. de Obligat. & actionib. Verior tamen est sententia negantium. quod sc. naturalis obligatio pupillum teneat ex L. 1. §. fin. ff. de Novat & Delegat. si modò pugnacitati fuerit proximus.

11. Porro etiam pupillus suam conditionem deteriorem reddit, si vult hereditatem vel bonorum possessionem repudiare. l. 11. ff. b. t. vel actionem remittere. l. ult. ff. b. t. debitum accipiendo l. 15. ff. de solution. Solvendo. l. 14. §. ult. ff. de solution. §. ult. quib. alien. vel non licet. vel novando ac transigendo l. potest 18. ff. b. t. l. 20. §. i. ff. de solution.

*ad. §. ult.* 12. Ultimus Paragraphus agit de Objecto s. re, in quâ interponi debeat Authoritas. Et intelligitur omnis res (quæ modò licite commercium recipit) exceptâ re unicâ Tutorū. In suam enim rem Author non esse potest. Regula juris civilis est. l. i. pr. l. 7. pr. ff. b. t.

13. Quod si tamen plures sint Tutores, pupillus unius auctoritate cum altero contrahere non prohibetur; quinimò tûm quoq; efficaciter obligatur l. 5. pr. ff. b. t. Vel si pupillus unum tutorem jam obligatum habet altero Auctore judiciariam item cum ipso exercere potest. l. 24. ff. de testament. tutel. Si verò habet unum, dabatur olim litis causâ alias qui dictus fuit Prætorius, §. ult. b. t. Hodie tamen ejus loco curator. l. 3. §. 2. ff. de tutel. qui curator datur ex duplice causâ. Cùm quòd tutorem habenti tutor dari nequeat. §. interdum s. infr. de curatore. tûm etiam quòd tutor detur personæ non certæ rei vel causæ. §. certa & supr. qui t. stat. tut. dar. pos.

*Titulus*

TITULUS XXII.

QUIB. MODIS TUTELA FINI-  
TUR.

1. Hactenus expositum est quomodo Tutela constituatur,  
nunc videamus quā ratione constituta iterum dissolvatur.

2. Sunt. causarum eam dissolventium potissimum Sex.

3. I. Causa in personā Pupilli est PUBERTAS. quæ in  
masculis Anno. 14. in Fæminis 12. æstimatur. Abrogato vete-  
rum more quo per inspectionem impudicam & corporalishab-  
itudo cira pudica requirebatur. Hodie enim solus anorum  
numerus sufficit per constitutionem L. fm. C. quando Tut. vel  
curat. eß. defin.

4. Quod de Faminis dicitur in pr. h. t. Videtur pugnare cum  
illo loco Ulpiani, ubi ait: Fæminas in perpetuâ tutelâ esse. in  
fragm. suis. tit. ii. §. i. Sed distinguendum est interius antiquum  
& novum. Olim enim Fæminæ tantum in perpetuâ erant tute-  
lâ, exceptis Libertabus quæ pubertate desinebant esse in tutelâ  
Patronorum. l. 13. §. ult. ff. de tutor & curator. dat. Sed hodie  
obtinet, ut quævis pupilla tutelâ suâ liberetur, cum cœpit esse  
viripotens. Nam tunc insuam tutelam venisse dicitur. L. si. ff.  
de Legat. 3.

5. II. Causa est CAPITIS Deminutio. quoad pupillum  
quævis. §. i. h. t. quoad verò Tutorum Maxima & media  
§. 4. h. t.

6. Nec obstat quod Transfuga, qui medianam patitur. l. 7.  
§. 1. ff. de capit. demin. l. 9. §. 4. ff. de capt. & postl. revers. nihil  
ominus tutor maneat. l. 15. ff. de tutel. Nam hæc Lex loquitur  
de eo qui transfugit non ut hostis patriæ sed ut hostium explo-  
rator. Hic cùm civitatem retineat, retinet etiam Tutelam.

7. MINIMA capitis deminutio, si contingit Tutori, non  
permitt Tutelas, nisi unicam Agnatorum Legitimam quæ ta-  
nen nec hodie propter sublatam Agnationis & cognitionis dif-  
ferentiam tollitur.

N 3

g. III. Cau-

90      *Ad Tit. XXII. quib. modis tutela finitur.*


8. III. Causa est Mors pupilli vel tutoris. §. 3. b. t. Hæc enim omnia solvit Nov. 22. c. 20.


9. IV. Causa est voluntas ex testamento tutelam deferentū. ad certam conditionem §. 2. vel ad certum tempus. § 5. b. t. Nam existente conditione vel finitio tempore & tutela finitur d. §§.

10. V. Suspicio, de quā sub tit. ult. b. libr. VI. Excusatio de quā sub tit. pen. videbimus.









the scale towards document

*Tit. XX. de Attiliano Tutoro.* 85  
le tutor. vel curat. dat. quia jurisdictionem ex-  
um in neminem potest exercere. l. fin. ff. de

subjicit, ipse PRÆSES Provinciæ, qui ex L.  
e non inquirebat, dat jam non aliter nisi cum  
si ipse non vult dare, dat *jus ejus* alius, Ma-  
nipalis cui tamen hoc etiam Lege specialiter  
*datur ex L. jus dandi* 3. ff. de tutor vel curat. da-  
tenuorib. in fin. §. 4. b.t.

es jus Universale in omnes totius provinciæ  
m & singulorum municipiorum pupillos ha-  
b omnib. & singulis Magistratib. municipa-  
l jure concurrit, & ejus imperium fortius,  
st. Si itaq; contingit casus, quo Tutor est dan-  
res ad Præsidem, qui potest dare Tutorem, si  
& cessabunt tunc partes Magistratus Munici-  
piales est occupatus vel nolit dare Tutorem,  
nt partes Magistratus Municip. cui debet hoc  
monitione ipsius Præsidis & si tunc monitus  
se subsidiari, de quâ fiet mentio in §. 2. Infr.  
conveniri potest. l. 9. §. Magistratib. 6. ff. de

postmodum novissimo jure (*per constituta-*  
*ss ad manus non habemus*) correctum ipsiq;  
alib. tūm & Defensorib. civitatum permisum  
spectatā iussione Præsidis pupillis quingente-  
os s. aureos in bonis habentib. de sententia  
i tutores creare possint. § 5. b. t. L. 30. C.  
t. cum tamen satisfactione rem pupilli sal-  
ter exactā. §. 5. infin. §. ult. Infr. de satiда-  
tionē ut faciant suo ipsorum periculo Impera-  
introduxit. l. pen. C. de Magistr. convenient.  
net Jure Justinianeo. Hodie enim ex rece-  
tutoris ratio est penes quemcunq; cujusq;  
N loci

Image Engineering Scan Reference Chart TE063 Serial No. 646